Lib. 5. con. Julia. Pel. 6. 11. n. 44. Ench. c. 93. n. 23. lib. de Peccatorum meritis & rem. c. 16. n. 21.

tantibus, ut injecta infamia dignam tot virtutibus mercedem eriperent. Nobis tamen non est animus legem vobis imponere seu credendi, seu docendi, mortuos sine Baptismo parvulos ipsius etiam sensus pœna mulctari. Orbari Deo plus satis illis erit ad æternam miseriam. Quin etiam id certo cum S. Aug. statuendum, illos *in omnium levissima, & mitissima damnatione futuros*. At non idcirco dicere licet, nisi Pelagianis assentiri velimus, illos minime miseros, aut etiam, quod pejus sonat, felices, ac supra mortalium sortem feliciores extituros.

Sed ad Thesim, unde divertimus aliquantulum, redeamus. Si Molina iis est laudibus ornandus, quas illi tribuit: ejus ergo doctrina velut unice approbata, excipienda nobis erit, iis saltem in capitibus, ubi solæ post Molinæ sententiam Hæreticorum assertiones referuntur. Rigidioribus Calvinianis quodam saltem pacto in materia gratiæ concedenda lis erit, qui Sedem Apostolicam falso incusant, quasi S. August. relicto Molinæ doctrinam adoptaverit: Gratulandum & Calvinianis mitigatis ex Arminii secta, qui Molinam S. August. prætulerunt: exprobrare licebit sanctissimo Gratiæ Doctori (ut Hispanus ille Auctor ausus est) quod Ecclesiam turbaverit, veterumque, ac recentium Hæreticorum partibus vel imprudens, vel ignorans, vires addiderit: & dum S. Augustin. despicatui impune habet Molina, nova ejus figmenta summa veneratione nobis erunt suscipienda. Illi docere licebit, S. August. Synodisque conculcatis, & veluti repercussis, Christi, Sanctissimæque Matris ejus animas, idcirco præ ceteris *in tantam dignitatem electas fuisse, quod illas Deus prævidisset melius quam ceteras pro sua innata libertate usuras sub arbitrio*. Fas illi erit propugnare, contra expressa Scripturæ Sacræ verba, & apertas Ecclesiæ definitiones, hominem lapsum integris æque viribus stare, ac illas in puræ naturæ statu erat habiturus, nullo peccati vulnere sauciatus: Pueros sacro Fonte minime expiatos, secundum naturam felices, ac supra quam ullus mortalium fuerit, extituros. Tandem faveat licet Molina Nestorianis, Pelagianis, aliisque, tum veteribus, cum novis erroribus, primæ Thesis Auctor ejus doctrinam adeo periculosam, tantaque laborantem infamia, supra modum commendabit, & coram Summis Pontificibus examinatam, ac velut in fornace probatam auro puriorem inventam esse prædicabit.

Qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. pag. 478.

Id præ ceteris observandum, Molinam novam illam doctrinam, ut fructum scientiæ mediæ effundere, cujus se auctorem esse gloriatur. Id ex ipsius verbis compertum est, *Cum Deus scientia sua prævideat, quinam ex eis, qui audituri sunt Evangelium, conaturis sint ex suis naturalibus ad assensum eliciendum, ut tenentur, & qui non, sane, ut a peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non elicuerint, satis est, Deum suo auxilio, & gratia præsto esse ad præveniendum in eodem instanti, quoscumque prævideris ex suis naturalibus ad assensum conaturos, ut ita non quidem tempore sed natura præventi talem eliciant fidei assensum, qualis necessarius est ad salutem.*

Qu. 14. ar. 13. disp. 7.

Explicatius profecto doceri nequit, Deum gratiæ suæ auxilia illis parasse, quos seipsis, atque ingenitis viribus acturos prævidet: quod ipsum in Pelagianis damnavit Ecclesia. Sic in errorum abyssum præcipites ruunt, qui inani fiducia tumidi, sola humana ratione duce de altissimis Mysteriis argutantur. Non absimili confidentia temerariam illam, & captiosam Propositionem propugnat: *Liberum arbitrium solo concursu Dei generali elicere posse assensum fidei, actu, qui sit mere naturalis*. Nec vero aliter de spe pronuntiat, *quoad actus substantiam attinet*. Ac demum de caritate sermonem instituens, idem quod de reliquis virtutibus theologicis asserit: *Liberum arbitrium cum solo concursu generali Dei elicere posse non solum actum atritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat*. Hæc porro si cum aliis paullo antea positis conferantur, dilectionem scilicet ea contritione naturali includi, consequens profecto est, naturam ipsam, secundum Molinæ principia, sibi soli relictam, solo concursu generali opitulante, fidem, spem, & caritatem, quoad substantiam actus habituram: tametsi non aliam Scriptura Sacra, & Ecclesiæ Patres fidem, spem & caritatem agnoscant, quam quæ, secundum Apostolum, ex gratia sobolescunt.

Qu. 14. ar. 13. disp. 7. p. 29. & 30.

Disp. 14. p. 62. Ibid. pag. 63.

1. Cor. 47. & c. 15. 10.

Audiat Theseos Auctor Canonem sextum secundi Concilii Arausicani: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus... nobis misericordiam conferri dicit divinitus ... & aut humiliati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium ..... resistit Apostolo dicenti*, Quid *habes, quod non accepisti? &*, *Gratiam Dei sum id, quod sum*. Hocne Concilium Molina legerat, cujus non semel suo in Opere meminit? An illud parvi fecerat? An forte eum latebat singularis auctoritas, quam in Romana Ecclesia hactenus obtinuit, unde suas Sanctus ille Cætus definitiones hauserat? Quo loco notare operæ pretium est, nullam eo in Canone meriti naturalis, aut dignæ ad gratiam sine gratia obtinendam dispositionis mentionem ingeri; sed eos simpliciter anathemate peti, qui misericordiam Dei hominibus sine Christi gratia credentibus, sperantibus, conantibus, laborantibus conferre dicerent, aut divinæ gratiæ adjutorium (ut Molina ausus est) virtutibus naturalibus hominis temere subjungerent: *Obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium*. Frustra porro ad eludendum Anathema Concilii obtruderet aliquis duplex virtutum genus; alterum earum, quæ saluti, justificationi deserviunt; alterum virtutum naturalium, quas ad salutem conducere Molina non contendit. Sunt hæc speciosa diverticula, quibus non Pelagianos errores proscribere, sed Ecclesiæ censuras eludere velint. Nam præterquam quod fides, spes, caritas, contritio, ad salutem inutiles, monstri pene instar haberi possunt, quo vel uno deterreri Molina debuerat, quominus adulterinam, & apud filios Regni (ut Scripturæ verbis utar) reprobatam monetam tanti faceret; ejus etiam Sectatoribus mox ostensuri sumus, quantum ipsi fallantur, aut alios fallere velint.

Certum quippe est in Molinæ systemate primas reipsa partes naturæ tribui, quæ uni gratiæ in speciem tribui videntur. Quis enim negare potest id ab eo fundamenti loco poni, Deum certo gratias omnes ad justificationem, & salutem necessarias largiri homini, ubi primum ingenitis naturæ viribus egerit totum, quod ex se potest? Ex quo plane consectarium est, omnia tandem in gloriam liberi arbitrii cedere. Semipelagianis nihil ejusmodi venit umquam in mentem, ut damnationem effugerent artis scilicet, ac industriæ Molinianæ expertibus. Nihil sane intererat (quod dogmatis caput attinet) aut fidei supernaturalis initia, cum Fausto nobis adscribere: aut, cum Molina propugnare nil quidem nos ultra fidem naturalem posse ex nobis, at supernaturalem fidem a Deo semper adjungi: qua una subtilitate fractæ, & elisæ hæresis reliquias, velut opportune succurrente in naufragio tabula collegissent. *Novimus hanc istorum esse versutiam* (inquit S. Leo Episcopum Aquilejensem adversus Pelagianorum astutias muniens) *ut in qualibet particula dogmatis execrandi, quam a damnandorum soliditate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Ep. supræ.

Et vero si dispungantur minutatim novæ Concordiæ principia, nemo erit, qui aperte non videat, quam facile Pelagiani sub umbra, & protectione Molinæ Ecclesiæ fulmina declinassent. Sic ille novum dogma suum exponit: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, Christusque nobis promeruit auxilia non solum, quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere, quod in nobis est, præsto essent, ac prævenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus excitaremur omnino; inde est, quod quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum, quod potest circa detestanda peccata commissa, & cavenda imposterum omnia lethalia, præveniatur a Deo affectu, donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, ut peccata deleantur*. Hoc si verum, nihil obest, quominus homo sibi justificationem suam, & salutem adscribat: siquidem gratia ingenitis liberi ejus arbitrii conatibus semper addicta est.

Qu. 14. ar. 13. disp. 14. pag. 82. 83.

Tot illos Molinæ exitiales errores, dum de divina gratia sermo fuit, silentio præterire nefas erat: cum iis ab illo semel positis; quicquid demum de gratuita electorum prædilectione statuere visus est, sponte ruat. Dum hæc perversa dogmata stabunt, humanæ superbiæ, & gloriationi locus erit: atque ubi gratuita supernaturalium donorum præparatio posita fuerit, eadem ipsa dona naturalibus liberi arbitrii conatibus fictitiisque virtutibus fidei, & spei, caritatis naturalis, *quoad substantiam actus*, adscribentur.

Si hæc principia, atque dogmata sine debita animadversione serpere sineremus, vix, ac ne vix quidem Pelagianismum humana superbia renascentem, ac tumidum cohibere fas esset. Cogimur igitur vel inviti piis Leonis Magni consiliis morem gerere, quibus Aquilejensem Episcopum hortabatur, ut obscuros aliquos Hæresis Pelagianæ fautores Pastorali vigilantia coerceret, tanto difficilius a veris Christi ovibus discernendos, quanto callidius ovina se pelle tegebant. *Cavendum ergo*, inquit, *magnaque diligentia providendum, ne per hujusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate aliquod in Provincia tua ejusdem mali germen oriatur; quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat*. Eo vero movemur magis, quod intemperans ille Molinæ laudator nullibi erroris ejus, vel leviter perstringat, vel explodat: quamquam tales ii sint, ut totam Molinianæ doctrinæ summam inficiant, & si quid boni dixerit, inutile reddant.

Epist. jam citata ad Aquilejensem Episc.

Accedit, & aliud hujusce Thesis incommodum longe gravius; Tertia scilicet columna, ubi variæ circa gratiam opiniones referuntur, sex complectitur Appendices. Quinque postremus Auctor hæreses omnes exponit, quibus Ecclesiæ Catholicæ doctrina de divina gratia pulsata est. Pelagianos, Semipelagianos, Prædestinatianos, Lutheranos Calvinistas, Jansenianos numerat ordine longo. Porro tot illis divinæ gratiæ hostibus unam Ludovici Molinæ doctrinam ex adverso po-

ponit Appendice prima, ceteris omnibus Theologorum orthodoxorum sententiis alto silentio prætermissis: quasi hujus unius doctrinam Catholicis Theologis amplecti necesse sit, si procul a damnatis hæresibus stare velint.

Certe, ubi de fidei dogmate statuendum, quod vel in Libro, vel in disputatione Theologica agitur, id primo proponitur, quod Ecclesia credit, omnique retro tempore professa est, tum oppositæ Catholico dogmati hæreses recensentur. Cum igitur una Ludovici Molinæ sententia de divinæ gratiæ auxiliis, uti subortis erroribus adversa recensita sit, perspicuum est, id unum Thesis hujus Auctori fuisse consilium, ut Molinæ sententiam tamquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, professionemque obtruderet, cui adhærere necesse sit, ut hæreses recensitæ vitentur.

Atque id quidem consilium eo manifestius se prodit, quod Thesis Auctor statim sub primæ Appendicis initio scripserit, Molinam ejusque Sectatores, divinæ gratiæ, cum humana libertate concordiam, ope scientiæ mediæ, ceteris omnibus Theologis enucleatius tradidisse. Addit, Doctrinam ejus tam valide impetitam, toties a diversi generis hostibus impugnatam, & coram Summis Pontificibus tam diligenter examinatam, tamquam aurum in fornace probatam, puriorem inventam esse. Eo etiam venit audaciæ, ut sacrilega quadam violatione sacras divinæ Scripturæ voces usurpet, quibus invictam in tormentis Martyrum fidem celebrat Ecclesia: ac demum lata veluti sententia pronuntiat, Molinæ doctrinam dira coram duobus Summis Pontificibus persecutione agitatam, solidiorem, ac puriorem evasisse; dignamque etiam, quæ uti SS. Patrum hæreditas excipiatur, *Cum honore ex tot disputationum fluctibus emerserit.*

P. 4. c. 14. p. 198. Edit. Antuerp. Et c. 41. pag. 89.

Unanimis consensus statuit, doctrinam S. Thomæ in doctrina Scholastica tamquam solidiorem, securiorem magis approbatam, & consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse a Professoribus nostris * C. 56. pag. 300.

Constitutionibus Jesuitarum sancitum est, *Ut in Theologia legantur Vetus, & Novum Testamentum, & Doctrina Scholastica Divi Thomæ*. Hoc ipsum quinta Congregatio generalis Societatis decrevit, nonnullaque quorumdam Deputatorum, de seligendis opinionibus instituta confirmavit, quorum primo ita constitutum est: * *Nostri omnino S. Thomam, ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologia sequi teneantur; tum quia Constitutiones eum nobis commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit; tum quia cum unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, aut securior; ut non immerito S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur*. Quin etiam cap. 41. quintæ Congregationis generalis cautum est, *Ne deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui S. Thomæ bene affecti fuerint; qui vero ejusdem Auctoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, a docendi munere repellantur.*

S. Thomæ principiis imbutus profecto non fuit Frater Grabriel Thiroux, Thesis hujus auctor, & propugnator, ut imbutum illum fuisse oportuerat, si Præpositi Societatis hæc Decreta executioni demandassent. At Magistrum ei Suarez dare maluerunt, cujus doctrina nil nisi Molinianæ temperamentum est. Ea nobis agendi ratione Jesuitæ significant, pluris apud illos fieri recentium Scholæ suæ Theologorum auctoritatem, quam Clementis VIII. Pontificis Maximi justa, qui ferventibus Congregationum *De Auxiliis* disputationibus, unicum eis Magistrum esse voluit S. Thom. Quid ergo mirum si quo tempore Thersis propugnanda fuit, quinta scilicet Decembris ultimo præteriti, nullam alterius Decreti prudentissimi rationem habuere, quo quinta illorum Congregatio generalis vetuit, ne quis eas opiniones in aliqua Academia doceat, vel defendat, quæ Catholicos offendere possint?

Majori Jesuitæ Rhemenses reverentia duci debuerant in Societatis suæ Constitutiones, Congregationumque generalium ejusdem Societatis Decreta, quorum iis memoriam interdum revocavimus, dum nostrum illis de Molinæ doctrina judicium aperuimus. Si quod Majoribus quondam suis caritatis, ac prudentiæ studium insitum erat, illos etiamnum egisset; non usque adeo publice comprobassent quam parvi sensa nostra, ac monita pendant. Ab eo delicto procul illos esse, & ab immodicis Molinæ sui laudibus temperare oportuerat, vel eo solo nomine, quod illius sententiam inter fidei dogmata reputare ipsi non audeant; eamque e contrario novam ut minimum confiteri compellantur.

Mirari subit, liberam opinandi licentiam, usque adeo Societatem occupasse, viris quondam, atque etiam hodie eruditis abundantem: cui etiam nihil in suis initiis omnium, ut prudentissimis institutis, ab ea sibi labe præcaveret. [a]

Joannes Mariana Jesuita Hispanus eruditione sua celeberrimus, ea de re gravius expostulat edito Tract. *De rebus emendatione dignis in Societate Jesu*. Ubi malum eo usque progressum ait, ut plures in Scholis opiniones recipi cerneret, quæ falsæ prius, atque insulsæ habebantur. Quam ardentiori reformandæ societatis zelo exarsisset, si detestandum peccati Philosophici errorem, impiamque adversus divini Amoris mandatum hæresim, publicis apud suos Thesibus defendi ætate sua comperisset? Nulla nobis ambas illas Theses [b] ut commemoremus, religio est, siquidem illæ

[a] Const. pa. 3. cap. 2. pa. 118. Idem sapiamus, idem quoad ejus fieri possit dicamus omnes juxta Apostolum: doctrinæ igitur differentes non admittantur.

[b] Theses propugnatæ in Collegio Soc. Jesu, Divisione 1686. mense Junio, & Mussiponti

solemni Alexandri VIII. Decreto [c] damnatæ sunt. Alias silentio mittimus nostra ætate, nuper in nonnullis hujusce Regni Diœcesibus propugnatas; quod falcem in messem alienam immittere, ac de gestis extra jurisdictionis nostræ fines publice pronuntiare nolimus. Ab iis Præsulibus expectanda justa Censura est, quorum ovibus periculosæ illæ Theses scandalo fuere. Hanc, ut libuerit, ferent, pro ea, qua nobis præstant eruditione, & singulari custodiendi depositi sibi commissi zelo, cum auctoritate legitima conjunctis. Nos interim, qua poterimus vigilantia illud in Diœcesi nostra servare satagemus, ut cœpimus, his præsertim temporibus, quibus cum adulari sibi homines velint, impatientique dissolutæ disciplinæ prurigine laborent, promiscuam laxiorum Doctorum turbam audiunt, qui illorum cupiditatibus serviant. Hortabimur, obsecrabimus, increpabimus, uti nos monet Apostolus, *In doctrina sana, & eos, qui contradicunt*, arguemus, *Doctrinis variis, & peregrinis abductos*, qua decet caritate, & animi fortitudine castigabimus, ut *Profanas vocum novitates* devitent, & *Oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt.*

anno 1689. die 14. Januarii.

[c] Die 24 Augusti, 1690.

2. Tim. 4. 3. Ad Tit. 1. 9. Ad Heb. 13. 9. 1. ad Tim. 6. 20. & 21.

Idem ille Joannes Mariana, qui, quo tempore Congregationes *De Auxiliis* habebantur, prælaudatum de Societatis emendando Regimine Tractatum edidit, diligentius notat, quæ mala liberiorem illam in vulgandis Molinæ, & aliorum plurimorum figmentis licentiam secuta sunt. *Ex inordinato*, inquit ille, *novitatis amore emanarunt illi turbines, & procellæ, quibus nostra Societas tentavit excogitare sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius venerari debeat, quam sequi hesterna Ludovici Molinæ figmenta*. Addit, *Occasione Molinianæ concordiæ ab hisce Patribus certatum acriter; ac primo quidem ad Hispaniensem Inquisitionem provocatum, deinde Romam; ubi* (ut ait) *quo tempore scribebat, controversia magno animarum æstu disceptabatur: Cujus prosperum exitum* (*etiamsi res illis prospere cederent, quod admodum incertum erat*) *nonnisi multis expensis, & auxia multorum annorum cura empturi essent*. Subjungit. Virum per illustrem, * rerum illarum apprime conscium, Societatis Præpositos monuisse, ne se liti huic altius implicarent; nihil tamen obtinuisse: *Tum quod ad litem urgendam proprii honoris stimulo duceretur Præpositus Generalis, ob datam Molinæ typorum veniam, minusque rei gravitatem persentirent juniores nonnulli Hispaniæ Professores: tum quod, qui Præposito Generali Romæ adsistebat, quique Hispaniæ Provincialis munus gerebat* (*quorum artibus omnia hæc movebantur*) *viri essent illiterati, qui publica illa Societatis omnia hominum ejusdem moris, & indolis gratia obtinuerant*. Qua in re id tandem evenisse ait, quod visum est, *& quod eveniet, quoties ardua Societatis negotia viris turbulentis, & ignaris Præpositis committentur*. Ita Mariana eo in Libro, quem publicæ luci præripere tantopere conati sunt, quemque nos in testimonium Hispano, & Gallico editum idiomate in Bibliotheca nostra servamus. Sic demum Auctor ille Tractatum suum absolvit. *Multam mihi fiduciam sumpsi in detegendis malis Societatis nostræ, ac Regiminis ejus erroribus, iisque potissimum, quæ cum communiter approbentur, libentius fiunt. Quid remedii?* (*candide loquor sine præjudicata mentis affectu, ac spe quacunque*) *Rem quisque, ut libuerit, æstimabit. Verum quod in me est, quod propius ingravescente ætate ad Dei judicium accedo, Societatem nostram, quæ Dei opus est dubio procul, in præceps ruere firmius sentio, ac brevi etiam casuram omnino, nisi Deus ipse det opem; ejusque filii pro sua in Matrem pietate, omnique privati commodi studio seposito, præsens auxilium offerant, & ad vivus usque partes circumcidant, si ita est opus, ne ultra serpat corruptio*. Perpendite jam, per nos licet, Marianæ verba, & infausta præsagia. Duo tantum inde colligimus. Primum, isto ineunte Sæculo, Societatis Professorem magnæ apud Sodales suos existimationis de liberiori in ea opinionum licentia expostulasse: Alterum, non tanti illum fecisse Molinam, quanti nunc ipsum facit Societas.

Laudat Illustr. Archipræsul Rhemensis Marianæ verba secundum versionem Gallicam ipsi Autographo coævam.

* De Cardinali Baronio loqui videtur.

Unum superest, quod in Molina tantis in ea Thesi laudibus imprudenter commendato observari debeat; minor scilicet, quam par sit in sanctos Patres, & antiqua Concilia reverentia, immo contemptus, & despicatio. Hunc si audimus, minus illis circa divinæ gratiæ quæstiones lucis affulsit. *Quin*, inquit, *Patres antiquos, antiquaque Concilia legenti perspicuum erit, parum admodum lucis fuisse circa ea, quæ ad gratiam spectant*. Atrocem Traditioni Sacræ, quæ doctrinæ depositum ad nos usque transmisit, injuriam! Puniendæ temeritatis verba! Videri quidem prima fronte potest, superiora dumtaxat Pelagio tempora notare: verum cum illic Arausicanæ Synodi secundæ mentionem faciat, nullaque ante Pelagium circa Gratiæ quæstiones Concilia celebrata sint; perspicuum est, velle Molinam, & his verbis innuere, nedum superioribus Pelagii temporibus doctrinam de Gratia fuisse ignoratam: sed & ipsas etiam post hæresis Pelagianæ ortum celebratas Synodos nihilo magis luminis his controversiis attulisse. Conciliis igitur Africanis, & Arausicano, quorum tanta est in Ecclesia reverentia, necnon tot Summorum Pontificum defini-

Qu. 14. ar. 13. disp. 15. p. 86.

finitionibus injuriam irrogat, qua si minus feliciter quam ipse Molina divinæ gratiæ dogmatum veritatem explicuerint. Audacem nimirum inscitiam, ac severiore censura dignam!

His de caussis, aliisque gravissimis, Dei nomine invocato, re mature expensa, auditis Sacræ Theologiæ Doctoribus eruditissimis, & in Ecclesiastica Dignitate pariter constitutis, damnavimus, atque damnamus primam Positionem tertiæ Columnæ Thesis propugnatæ die quinta Decembris ultimo elapsi, cujus verba supra descripsimus, uti falsam, temerariam, scandalosam, captiosam, & inducentem in errorem.

Thesis altera, die decima septima Decembris propugnata, nec minus est ad fallendum composita, nec minus si penitius attendatur, Censura digna est. Equidem primo quintæ Columnæ intuitu, suspicari pronum est voluisse Thesis hujus auctore S. August. & Ecclesiæ pro illata ipsis ante dies aliquot injuria publice satisfacere. Ut enim præsenserant nos, cum omnibus probati nominis Theologis indigne laturos, in priori Thesi, cui titulus est *De variis circa Gratiam opinionibus* nullam aliam de Prædestinatione doctrinam, ceu orthodoxam agnosci, præter novum Molinæ systema S. August. adeo injuriosum, sibi utcumque præcaverunt. De S. Doctore paullo reverentius loqui ipsis visum est. *In exponenda Prædestinatione*, inquiunt, *Augustin. sequimur*. Hujus Urbis Jesuiti Augustini discipuli videri affectantes, in Thesi sua dixere: *Toti Augustiniani sumus*. Bene id quidem: verum ut totus quis Augustinianus habeatur, haud satis S. August. sententiam amplecti, nisi eodem modo, eodemque animo illam defendat. Si quid enim, ut fidei dogma docuit S. August. nec ab Augustiniano tacenda, nec neganda tanti momenti veritas est. Videamus igitur num hac parte Jesuitæ Rhemenses Lugdunensibus * Sociis religiosiores extiterint; collatisque variis Thesis secundæ principiis perpendamus quo spectet ea in speciem reverentia, quam erga divinæ gratiæ Doctorem in nostra Diœcesi ostentarunt.

Posit. 5. col. 3.

Ibidem.

* Thesis Lugdunensium Jesuitarum 24. Aug. 1696. propugnata Positione 15.

Antequam speciosa illa commendations salutaretur S. August. id caute præmissum ab illis est, Scientiam mediam a Molina, ut nostis, inventam, *gratuitæ Prædestinationi explicandæ unice deservire*. Quæ illusio! Augustinianæ ergo doctrinæ tam antique, tam universaliter, tantaque reverentia receptæ, & pro Sedis Apostolicæ doctrina semper habitæ approbatio e Molinianæ opinionis approbatione pendebit! Novæ, (inquam) opinionis, ab ipsa origine susceptæ, obscuræ, in sanioris doctrinæ Scholis impugnatæ, a plurimis Soc. Jesu, in qua nata est, magni nominis Theologis explosæ, Sedi Apostolicæ ignotæ, & ipsius respectu peregrinæ, ac prorsus extraneæ? (ne quid amplius dicamus, & sollemnem Sententiæ illius Declarationem præveniamus.) Theologi igitur deinceps tenebuntur Auctoris recentioris figmenta mutuari ad exponendum Prædestinationis Mysterium, eaque dumtaxat lege illis Augustinianos licebit esse, ut S. Augustin. Molinista fiat? Absit ut hæc feramus.

Verum qua tandem ratione, ut ceteris illuderet Thesis Auctor, commentus est, S. August. scientiam mediam luculenter approbasse, & *ad gratiam Dei electionem demonstrandam, ea tamquam invicto argumento usum esse*? Itane dum hæc Columna secunda scriberet, cogitabat, quid tertia scripturus esset? Ibi quippe fatetur *Nullam aliam Prædestinationis caussam* S. Aug. esse probatam, *quam Dei voluntatem*. Rogandum ergo, ut secum ipse consentiat. An eum forte fugiebat, Molinam scientiæ mediæ inventum ab uno Sodalium suorum ante dies aliquot adeo magnifice commendatum nemini alteri concessisse? Fictitiam illius inventi laudem longe minus concedit S. Aug. quem illius ignoratione in eo argumenti genere cæcutiisse, omniaque turbasse commentus est. *Si sic hæc*, inquit, *explicata fuisset, neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare: neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Palagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Galliis fuissent extinctæ*. Quam dolendum heu, Molinam Pelagianæ Sectæ temporibus S. Aug. loco non decertasse; aut Lutheranos Molinæ ætate nuper enatos nevum ejus Systema confidenter amplexos non fuisse! Quis recentis illius Theologi temeritatem non indigne ferat? Cui si demus aures, quomodo cum Ecclesia consentiemus, quæ S. illum Patrem uti defensorum suorum illustrissimum in divinæ Gratiæ controversiis, utique Hæreticorum flagellum, ac debellatorem semper habuit, ac venerata est?*

Ibidem.

Concord. p. 39.

* Prosper carm. de ingratis. Istius ergo iter cun- tos, qui de lege sancto, fanas pe- ulere feras, industria major; Ma- us opus, tum præ- ntius im- nit orbem,

Ita de S. Aug. sensere quotquot Historiæ Ecclesiasticæ non imperiti fuerunt, & quibus Ecclesiæ honor, & utilitas cordi fuit, Summi Pontifices celebratas a S. Prospero ejus discipulo tanti Doctoris laudes non minoribus encomiis cumularunt. Quin & nostra ætate Cardinalis Peronius * S. Aug. *Maximum post Apostolos Prædestinationis Doctorem* prædicavit, *immo os, ac vocem veteris Ecclesiæ, quod pertinet ad illud doctrinæ caput*.

* In Rep. ad tren. Ma- næ Britan- iæ Regem 12. Posit. col. 5.

Si Frater Franciscus Baltus, secundæ Thesis auctor, & propugnator, Augustinianus revera foret, ut eo quidem nomine gloriatur, num ita exiliter, & jejune de Sanctissimi Doctoris sententia pronuntiasset? *Nihil*, inquit, *in doctrina Augustini certius, quam Prædestinationem esse omnino gratuitam*: modo tamen, ut præmonet, Moliniano scientiæ mediæ sensu exponatur. Innuit ne vel leviter Thesis hujus Auctor, S. August. sententiam eo in capite Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse, atque a Summis Pontificibus expresse probatam? Solos ne Hæreticorum errores huic doctrinæ opponit, quemadmodum in prima Thesi factum est in gratiam Moliniani dogmatis? Multum certe abest, ut id agat; satisque S. Aug. honori consultum putat, si se Augustinianum esse jactet, data tamen cœteris omnibus a S. Doctore dissentiendi licentia. *In explicanda*, inquit, *Prædestinatione Augustinum sequimur, ab utrisque, Semipelagianis, & Prædestinationis æque remotum*. Ne verbum quidem tota Thesi occurrit, quo vel leviter innuat longe a vicinia veritatis errare, qui aliter senserit: quod tamen palam significare opus erat, ut totus Augustinianus haberetur, & cum Romana loqueretur Ecclesia, ut Hormisdas Pontifex declaravit, totaque Pastoralis hujusce Institutionis serie demonstrabimus.

Hormisdas Epist. 70. De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quod Romana, hoc est Catholica, sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris Beati Aug. & maxime ad Hilarium, & Prosperum possit cognosci, &c.

Qua in re id statim consilii nobis fuit, ea omnia seponere, quæ salvo fidei capite in Scholis Catholicis disputantur, & intra Prædestinationis gratuitæ fines consistere. Hoc dogma est, quod a S. Aug. traditum diximus, ut communem Ecclesiæ Catholicæ sensum ex Scripturis Sacris, & Traditione petitum; & a Fidelibus universis summa veneratione, & consensione susceptum.

Fundamentalem illam veritatem, ut ordine statuamus, ponenda in primis est Augustiniana Prædestinationis definitio, ab universa Ecclesia probata. *Hæc est Prædestinatio Sanctorum*, inquit, *nihil aliud, præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*.

Libro de dono persev. c. 14.

Deus certis hominibus, quos electos Scriptura vocat, singularia beneficia præparavit, quibus a peccato, & æterna damnatione certissime liberantur. Si certissima est eorum liberatio, iis ergo procuratur auxiliis, quæ indeficientia sint, & ad exitum infallibiliter perducant. Hæc si Deus omnibus præparasset, omnes certissime liberarentur. His, qui ea recipiunt, bona voluntate ab illo destinata sunt. Quæ pro illis facturus erat in tempore, novit ex æternitate: idque ipsum præparavit, ac præordinavit. Nullis moveri meritis * potuit, ut certa illa auxilia præparet, ex quibus omnia merita oriuntur. Non quæ primo confertur gratia certo salvat electos: cum plurimi non salventur, quibus donata est. Non itaque prima dumtaxat gratia, gratuito præparata, & prædestinata, æternam electorum liberationem certissimam facit, sed ipsa potissime gratiarum, beneficiorum peculiarium series, quæ illis a Domino præparantur. Horum, quibus præparata sunt, nemo perit. Adversus hanc Prædestinationem, si S. Aug. credimus digno Ecclesiæ Interpreti, nemo umquam sine errore disputavit. *Hoc scio*, inquit, *neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*. Hæc contra divinæ gratiæ hostes, inquit S. ille Doctor, propugnamus, non privatis præjudiciis occupati, sed Sacris Litteris eruditi; nec convocari in controversiam ullatenus possunt, nisi vel beneficia, quibus certissime liberantur electi, negentur omnino, vel minus a Deo prævisa dicantur, ac præparata: quo utroque errore fides manifeste læderetur.

* Rom. 11. 6. Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Libro De dono persev. c. 10. Epist. 96. ad Egilam, & 97. ad Episcopos Hispaniæ.

Hanc doctrinam clarissime explicuit, ac definit Adrianus I. Pontifex Maximus. *Opera*, inquit, *misericordiæ, ac justitiæ suæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum numquam fuit ignarus; sic in eorumdem operum præparatione numquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita, præparavit eisdem glorificandis & præmia: malis vero non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis justa, & æterna supplicia. Hæc est æterna Prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolica Doctrina insinuari semper cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Teneatur ergo Prædestinationis veritas a fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac Prædestinatione consilium: non perveniet ad gloriosum ejusdem Prædestinationis effectum*.

Quisquis Sanctissimi Doctoris Libros *De Prædestinatione Sanctorum*, & *De Dono perseverantiæ* vel obiter legerit (ne quid de ceteris adversus Pelagianos editis hic dicamus) facile intelliget, nihil illum hoc in argumento nisi Sacrarum Scripturarum, & universalis Ecclesiæ fidem retulisse. Nihil æque Catholicorum fidem in aperto ponit, quam publicæ Orationes ab iis fundi solitæ. Quid porro omni retro tempore, & ubivis locorum, ac gentium, ardentius publicis supplicationibus a Deo efflagitavit Ecclesia, quam pro fidelibus perseverantiam, uti pro infidelibus fidem? Atque iis maxime donis impleri certum est, in tempore in gratiam Prædestinatorum, quæ Deus ante omnia tempora decrevit. Perspicua ea de re, ac decretoria S. Aug. verba, amabo, audiatis. *Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem Prædestinationis hujus, & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura*

Libro de dono persev. c. 21. n. 65.

cura diligentiore defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Si ergo eas hactenus gratias a Deo postulavit Ecclesia, eas ab illo uno donari credidit. Neminique negare fas umquam fuit (nisi omnem religionis, rectique judicii sensum exuere vellet) ea Deum ex æternitate prænovisse bona, quæ deinceps erat collaturus. *Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit: nec ab illo esse præcognita umquam ei negare fas fuit*. Quibus demum statutis, ac positis ita colligit S. Aug. *At per hoc Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos Hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit*.

S. Aug. ib. c. 19. n. 48. Conc. Trid. Sess. 6. c. 8. & 13. Can. 22.

Augustinianæ Doctrinæ principia si serio perpendantur, perspicuum erit, neminem ab iis recedere posse, nisi simul a Scriptura Sacra, & Traditione aberret. Primam, ultimamque gratiam, fidem & perseverantiam, dona Dei esse, dogma fidei est. Fidem operibus eam præcedentibus mereri nullatenus possumus: preces vero, uti bona opera, quibus perseverantiam obtinemus, ac etiam (ut loquitur S. August.) *Suppliciter emeremur*, nonnisi gratiæ gratuitæ fructus haberi possunt, quam Deus iis donat, quibus voluerit; iisque omnibus certissime donat, qui perseverant, nullo nobis relicto de illius bonitate, vel justitia querendi jure. Si ergo quicquid ad obtinendam perseverantiam facimus, gratiæ cujusdam singularis, & eximiæ partus est, quam Deus omnibus in bono perseverantibus donat: quidni cum Apostolo hac prærtim occasione dicamus? *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*.

Libro De dono persev. c. 6. n. 20. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest.

Rom. 11. 6.

Nulla futurorum bonorum operum nostrorum habita ratione certa nobis beneficia Deus præparavit, quibus ea faceremus, in iisque faciendis in finem usque perseveraremus; unde consequens est, nullo nos bonorum operum intuitu electos esse ad æternam illam, de qua S. August. loquitur, liberationem; quandoquidem, ut illa perseveranter faciamus, indebitæ gratiæ munus, ac fructus est, ut Apostolus docet: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*. Hoc sensu Prædestinationis Mysterium S. Aug. duce exponat necesse est, quisquis procul ab extremis hæreticorum erroribus esse velit, ne vel cum Calvinianis, gratuitæ Prædestinationis impugnet, ut humana merita tueatur. Ab utriusque ex equo distat Ecclesiæ Catholicæ fides. Totum Deo referendum esse docet, a quo totum accepimus, illique gratias de meritis nostris agendas, non de illis gloriandum: Christianam humilitatem Pelagiani perimunt, excitandæ vigilantiæ obtentu: vigilantiam contra, omnemque virtutem eliminant Calviniani, libertatem, ac meritum impugnantes. Medius incedit S. Aug. nosque ex equo & intentos officio, & acceptorum beneficiorum memores esse monet. Tametsi enim ex mera misericordia electi vocentur, ex justitia nihilo secius coronabuntur. Nemo adultus justificatur, aut salvabitur, nisi certam bonis operibus vocationem, & electionem suam faciat*. Tantum vero abest, ut idcirco gratiæ, qua electi sunt, minus debeant; quin potius officiorum integra perfunctio novæ gratiæ est, ob quam satis dignas Deo gratias habere, ac rependere non possunt. Sua quidem illi bene usi sunt voluntate, sed præparata est illis, ut Scriptura loquitur, voluntas a Domino: opera bona ediderunt, at secundum Apostolum, Deus gratuito, quo illos dilexit, amore, bona illa opera ex omni æternitate præparavit, eaque ut in tempore faciant, per gratiam suam operatur. Itaque adulti gratis eliguntur ad gloriam, quam ut mereantur gratiæ mere gratuitæ donum est; perinde ac ipsi post Baptismum erepti ex hujus vitæ periculis pueri, quos intuitu meritorum Prædestinatos nemo nisi Semipelagianus dixerit. Quamobrem Prædestinatio Sanctorum, secundum Ecclesiæ, & S. Aug. doctrinam, omnino gratuita est. Vita igitur æterna, quæ corona justitiæ vocatur spectatis meritis, quæ Deus per gratiam suam operatus est in nobis, mera reipsa gratia est, nullis nostris meritis ex æternitate nobis a Deo præparata. Hæc Apostoli doctrina: *Gratia Dei vita æterna... Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, ut ne quis glorietur*: unaque libertatis supersit misericordia liberantis. Perpetua illa est Ecclesiæ fides, atque doctrina. *Sicut in his orationibus*, ait S. August., *ita in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia*.

2. Tim. 1. c. 1. 9.

* 2. Pet. 1. 10. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.

Rom. 6. 23. Eph. 2. 8. & 9. Lib. de Dono persev. c. 23. n. 63.

Nemo ergo effundit, quod olim ab imperitis quibusdam, ac temerariis hominibus dictum est, gratuitam Prædestinationem nonnisi privatam S. August. opinionem esse: eumque, ubi ejus agitur caussa, minime audiendum, cum suam nobis doctrinam velut Ecclesiæ fidem tradit. Aliud nobis eximia illius humilitas spondet, certioresque nos facit uni eum veritati studuisse. Verum si minus ejus probationibus conceditur, tot saltem Pontificibus credatur, quos & eminens Sedis auctoritas, & eruditio cum pietate conjuncta Ecclesiæ universæ spectabiles, ac venerabiles fecit. Penes omnium gentium, & temporum Doctores singularibus meritis esto judicium: iisque demum reclamantibus neget si quis tam petulantis sit audaciæ, S. Aug. de Prædestinatione sententiam, constantem esse Romanæ Ecclesiæ doctrinam.

Sanctissimi Patris doctrinam etiam, dum in terris viveret, Innocentius I. Zozimus, & Bonifacius I. approbarunt, eamque successores Pontifices, ut pretiosam hæreditatem ab eo relictam, exceperunt. Leonis Magni, & Cœlestini I. leguntur Epistolæ; quorum alter S. Aug. doctrinam nulla umquam sinistræ suspicionis labe notatam pronuntiat. Quæ certe laude indignus esset, nec ea ipsum ornasset S. Cœlestinus, si privatas opiniones suas uti fidei veritates omni retro tempore ab Ecclesia susceptas tradidisset. Nec minus luculenta sunt reliqua, quæ ad S. Aug. commendationem hac Epistola continentur: quæ cum Galliæ Episcopis ex certa scientia scripta sit, ut illorum zelum in Novatores quosdam S. Gratiæ Doctori obloqui solitos concitaret, mirum videri non debet, si sacra ejus documenta tenacius complectimur, ejusque vobis verba damus, tametsi notissima; *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra Communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meis Decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote, qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori*.

Hoc uno elogio universis Augustinianæ Doctrinæ censoribus occlusum os existimavit S. Prosper. *Per hunc virum* (ait ille de Cœlestino sermonem habens) *intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehenderunt, maleloquentiæ est adempta libertas*.

Libro contra Collatorem Ep. ad Sixtum, inter Augustinianas 194. To. 4. Conc. gen. pag. 1260. pag. 1538. pag. 1666. pag. 1633. pag. 1751. Ep. 70.

Sixtus III. in sacram B. Petri Sedem, ad quam vocato ad superos Cœlestino est evectus, decessoris sui doctrinam intulit, ab ipso gratiæ Doctore sibi traditam, & Ecclesiam Romanam continuata Majorum serie una cum Apostolis ad Romanos Episc. derivatam. Eamdem illam Gelasius I. Hormisdas, Felix IV. quo auctore Canones Concilii Arausicani II. conditi sunt, Bonifacius II. & Joannes II. approbarunt, quorum ad marginem vobis indicare testimonia satis est.

Hormisdæ Romani Pontificis definitio neminem fugit. Neque diffiteri quisquam potest, eum in sua ad possessorem Epistola ex Apostolicæ Sedis auctoritate pronuntiasse, quam Episcopo respondisse constat, qui illum ut suum, & Ecclesiæ caput consuluerat. Ex hac igitur suprema Ecclesiæ Hierarchiæ Cathedra, cujus judicium quærebatur, S. ille Pontifex respondit, ut quod alias de Leone Magno, de Hormisda quoque dici possit; *Vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres*. Ab annis ferme mille ducentis in universa Ecclesia Pontificium illud rescriptum est, quo S. August. doctrina postremis præsertim libris distinctius, & luculentius expressa, sacro velut oraculo, consecratur. *De libero*, inquit, *arbitrio, & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, in variis locis B. Aug., & maxime ad Hilarium, & Prosperum, cognosci potest*.

Hormisdæ Bellar. To. 4. Ed. Par. 1613. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio pag. 479.

Et quisquam jam dubitabit, Ecclesiam S. August. doctrinam fecisse suam? Non certe dubitabat Bellarminus e Soc. Cardinalis. Optandumque, ut Thesis hujus Auctor, & vindex, eximii viri judicium, ex quo Societati tantum gloriæ, & honoris accessit, Molinianis novitatibus, quæ illi usque adeo dedecori sunt, prætulisset. *Hæc* (S. August.) *sententia*, ait ille, *non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debet*. Hac in re Patrum, & Doctorum scientia, & pietate celeberrimorum judicium sequitur meritissimus Cardinalis; nec unius S. Aug., sed S. Prosperi, Petri Diaconi, S. Fulgentii, totiusque Ecclesiasticæ Traditionis auctoritate sententiam suam fulcit.

Patres non solum hoc affirmant, sed antiquiores, & doctiores ex ipsis, quos ceteri postea secuti sunt ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt.

In ea sententia Societas Jesuitarum quodam modo nata est. Alphonsus Salmeron, unus e decem primis S. Ignatii, & postremi sæculi Theologus eximius, suam his verbis mentem aperuit: *Tertius erat modus dicendi, quod a prævisione meritorum penderet Prædestinatio, qui quidem falsus est, & ut Pelagianum dogma ab Aug. confutatum, & ut dogma Calvini confutandum, qui Deum malorum caussam esse prædicat*.

Salmeron. l. 3. disp. in Ep. ad Rom. disp. 21. To. 13. pag. 571. Ed. Colon.

Dionysius Petavius Jesuita, cujus paullo ante suffragium usurpavimus, scribit, S. Aug. tot inter Ecclesiæ Latinæ Patres, quorum in divinæ Gratiæ quæstionibus summa auctoritas est, omnium Theologorum consensu primas obtinere. Quin & addit: *Cujus de gratia sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres, & Doctores, tum vero Ecclesiæ Romanæ Præsules, Præsulumque conventus aliorum, ratam, & Catholicam esse judicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Aug. positum, ac decretum esse constaret*.

Petavius To. 1. Theol. Dogmatum lib. 9. c. 6. n. 1.

Nec vero quis effutiat, posteriores Ecclesiæ Romanæ Pontifices, suos hac in parte Decessores deseruisse. Figmentum est illud quorumdam nostri temporis Protestantium, ut Apostolicam Sedem novitatis incusarent. Clemens VIII. Alexander VII. Clemens X. Innoc. XI. Innoc. XII. qui pari nunc integritate, ac potestate Ecclesiam regit, Doctores, ac fideles universos ætate nostra ad S. Aug. libros remisere, ut Ecclesiæ Romanæ doctrinam, quod Gratiæ quæstiones attinet, ex iis discerent. Minus igitur est in secunda Thesi dixisse Prædestinationem omnino gratuitam esse secundum S. Aug. doctrinam, addendum erat cum Ro-

Innoc. XI. Const. lata 25. Feb. 1677. qua jubet Festum S. Aug. per totam Hispaniam celebrari.

manis

manis Pontificibus; ac celeberrimis Catholicorum Scholis, hanc ipsam esse Ecclesiæ doctrinam.

Qui etiam hic sumitur de industria, propugnandæ gratuitæ Prædestinationis modus, nescio quid affectationis prodat. *Nihil certius, in doctrina S. August., & nos idipsum affirmamus*. Nihil eo dogmate certius, at ubi? Num in omnibus Theologorum Scholis? Num in Ecclesia? Altum ea de re silentium. Itane vero, ubi fidei dogma ponitur in Ecclesia susceptum, & Theologorum opinationibus minime permissum, itane, inquam, jejune, & exiliter? Siccine occasione Moliniani dogmatis factum in altera Thesi, ubi solis ex adverso positis hæreticorum sententiis, magnificis adeo verbis Molinismus exponitur?

Innoc. XII. in Brevibus ad Episcopos Belgii, & ad Theologos Lovanienses datis 7. Febr. 1694. & 14. Nov. 1696.

Quod in quinta tertię Columnę Positione sequitur, tametsi S. August., cujus in statuendo divinorum decretorum ordine præfertur sententia, honorificum videri utcumque possit, nonnisi tamen studiosa dexteritate dictum est, ut Sanctissimi Patris doctrina inter liberas Theologorum opiniones reponatur. *An ad gratiam prius, aut ad gloriam Deus electos prædestinaverit; hanc quæstionem non attingit S. Doctor: ejus tamen doctrinæ magis consentaneum est, ut gloria prius decreta dicatur; & hic quoque toti Augustiniani sumus*. Quam grata nobis, quam jucunda hæc illa tandem Jesuitarum vox! *Toti Augustiniani sumus*. Monitos tamen volumus, ne varia promiscue dogmata misceant, neve opinionem Scholarum arbitrio datam, qualis illa est de ordine divinorum decretorum, gratiam, & gloriam spectantium, cum constanti S. August. doctrina de gratuita Prædestinatione confundant. Procul est illa ab eruditis, & prudentibus Theologis aberratio: gravisque suspicio subest, ne Jesuitæ, qui se in statuendo divinorum decretorum ordine, perinde, ac in gratuita Prædestinatione constituenda Augustinianos profitentur, parem faciant utriusque dogmatis negandi libertatem. Magnum ab Ecclesia Romana inter quæstionem utramque discrimen poni meminerint. Nihil ab ea pronuntiatum legimus de divino decretorum ordine, quem Thesis Auctor, uti Augustianæ doctrinæ consectarium ponit, de quo disputare sit liberum. At gratuitam Prædestinationem sollemniter definivit, velut doctrinam ex Scripturis, ac Traditione, instar sacri depositi acceptam, a S. Aug. aperte traditam, & contra Hæreticos, a quibus impugnata est, invicte propugnatam.

Ecclesiæ doctrinæ ignoratione liberior Lessio datus est campus, in quo nunc Molinam, nunc S. August. ludit; in Tract. cui titulus est, *Disputatio Apologetica de gratia efficaci*, statim ab initio gratuitam electorum prædilectionem ponit, sed tamen ex Molinæ principiis. In sequenti vero Tractatu de Prædestinatione, & reprobatione Angelorum, & hominum oppositam viam init: nullam prædilectionem gratuitam agnoscit: Molinam sodalem suum hactenus defensum deserit: tantumque abest, ut præscientiam conditionatam explicando Prædestinationis Mysterio commodam censeat, quin potius parum, vel nihil ex ea solatii peti posse confidenter pronuntiet in ipsa Tractatus Præfatione. Tum subinde, toto passim opere in sententiam Molinianam, quæ gratuitam prædilectionem scientiæ mediæ, sive conditionatæ fundamento superstruit, ea ipsa incommoda regerit, quæ Molina objicit, & exprobrat Gratiæ per se efficacis, & Prædestinationis ante prævisa merita defensoribus. Quin etiam graviora Molinianæ doctrinæ incommoda objectat: Moliniana decreta *non esse mitiora* dicens: auctam, non sublatam scientia conditionata difficultatem: asserit insuper, neminem esse *Qui non mallet voluntatem suam prædeterminari, & necessario impelli ad opus malum, quam occultis modis ita gubernari, ut libere faciat, quia illo modo plus haberet excusationis*. Sic sane sibi relictus audacium hominum animus omni doctrinæ vento jactatur. Verum etsi S. Aug. doctrinam Molinianæ hoc saltem loco Lessius anteponere videatur, ab ea tamen sequenda procul abest. Gratuitam prædilectionem non modo non admittit, *sed ad injiciendam desperationem pertinere* contendit.

Less. Edit. Lugd. an. 1651. pag. 513. & 514.
Ibid. p. 532.
Ib. p. 355. & 536.

Siquidem Lessius Semipelagianorum in S. Aug., & Ecclesiæ doctrinam odiosa probra, tritasque criminationes imprudenter refricuit, eadem illi responsa demus, quibus ingratos, & superbos illos gratiæ inimicos Sanctissimus Doctor propulsavit: *An vero timendum est, ne tunc de se bono desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus, & infelicissimus poneret? Maledictus omnis, qui spem habet in homine. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia Beati omnes, qui confidunt in eum*.

S. Aug. lib. de dono persev. c. 22. nu. 62.

Hoc modo secundum divinas Scripturas S. Aug. spes hominum erigit, eosque adversus nimiam de se ipsis fiduciam munit: nec modo sua nos doctrina * *in baratrum desperationis non agit*, ut ignaris quibusdam, ac temerariis ingeniis visum est: quin & nos eo certius constanti, firmaque spe in cœlum erigit, quo firmius totam in Deo fiduciam, nullam in nostris viribus ponendam ostendit. *Absit autem a vobis, ideo desperare de vobis*, inquit, *quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis*.

* Lessius pag. 554.

Iis documentis imbuendi fidelium animi, ut solidæ pietatis posito fundamento, nec vana de suis viribus fiducia extollantur, nec iniqua de divina misericordia diffidentia dejiciantur. In hac sententia firmi state, nec vanis Molinæ, Lessii, Arminianorum, licentiosorumque hominum terroribus moveamini, quibus gratuitam electionem hac nostra ætate impetunt; uti Semipelagianorum olim declamationes sprevit Ecclesia, qui similibus sophismatibus, in Sanctissimum gratiæ Doctorem, plebis, ac imperitorum hominum odia concitare nitebantur.

S. Aug. lib. de dono persev. c. 22. nu. 62.

Absit nihilominus, ut Molinæ, ejusque Sectatoribus Semipelagianorum hæresim imputemus. Hoc saltem æstimare par est, illos pro sua in Ecclesiam obedientia pravas Moliniani systematis consecutiones rejicere: statuendumque omnino, illos, etsi in errore versentur, a pertinacia tamen, atque ita ab hæresi procul esse. Cum etiam sancta Sedes Apostolica celeberrimæ disputationis de Auxiliis divinæ gratiæ, hujus initio sæculi inter Prædicatorum Ordinem, & nonnullos Societatis Theologos agitatæ, cognitionem sibi reservaverit, judicium, quod Summis Pontificibus suspendere placuit, cum reverentia expectandum est. Interea per nos minime stabit, quo minus Theologi Societatis in Diœcesi nostra constituti Molinianas divinæ gratiæ, & liberi arbitrii conciliationes pro viribus tueantur: ea tamen lege, ut nec scientiam mediam velut unicum explicandæ Prædestinationis modum orthodoxum venditent; nec doctrinam de gratuita Prædestinatione a S. August. secundum Scripturas assertam, & omni retro tempore in Ecclesia Romana receptam, velut dubiam, & problematicam proponant.

His dumtaxat conditionibus defendent, si poterunt, scientiam mediam Sodalis sui adversus eruditam S. Thomæ Scholam, quam posthabita Sanctissimi Institutoris sui voluntate, suis etiam Constitutionibus, ac Decretis Congregationum generalium Societatis repugnantibus, deseruerunt. Verum ne posthac usum scientiæ mediæ S. Aug. tribuant, ipso etiam Molina reclamante, Sanctissimoque Doctore prorsus invito, qui hanc eo ipso in libro funditus evertit, quem in ejus defensionem adducit Auctor secundæ Thesis. Agnoscit equidem S. Aug. *Habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*. Verum quid iis S. Aug. verbis, & scientiæ mediæ? An forte sancti Doctoris sensum esse putat hujus Thesis Auctor, verba vel miracula satis esse ad hominis conversionem, modo naturalibus cogitationibus nostris congruant? Purus hic, putusque Pelagianismus est, quem S. Doctori nemo affinget. Quovis igitur sensu sumatur *divinum naturaliter intelligentiæ munus*, eo tandem deveniendum est, quod de Tyriis, & Sidoniis ibidem S. Aug. addit: *Nec illis profuit, quod poterant credere, quia Prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ: nec istis* (Judæis scilicet) *obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre*. Huc ergo referenda est electionis gratia: non in naturale intelligentiæ munus, ejusve cum exterioribus mediis convenientiam, scientiæ mediæ lumine a Deo cognitam, de qua non loquitur S. Aug., sed in arcanam divinæ voluntatis ordinationem, qua Omnipotentis jure, & pro beneplacito suo, magis excæcatos illuminat, magis obduratos convertit.

Positione 5. col. 2. lib. de dono persev. c. 14. n. 35.

Tota illuc collimat Augustinianæ doctrinæ summa. Istis principiis Deo dignis firmiter hærete: vana illa, novaque figmenta ablegate, quibus humana mens divina Mysteria explicare tentat. Unam Scripturam, ac Traditionem consulite, ubi certas æque, ac occultas rationes discatis, quibus Omnipotens corda hominum, quocumque voluerit, inclinat. Fide novimus, Deum omnia quæcumque vult, facere in cœlo, & in terra; eumdemque & in misericordia divitem, & in judiciis incomprehensibilem: ne igitur ejus omnipotentissimam voluntatem ab humanis affectibus pendere putemus: quasi rerum omnium Conditori Deo mutua nobiscum consilia conferre sit opus, ut sua illi prospere succedant; & qui corda Regum quovis præ ceteris soluta jure summo dominio regit, ac pro nutu flectit, infirmæ prius voluntatis sinus exploret, quam suæ, quæ omnipotens est, decretum edat.

Psal. 113. Eph. 2. Rom. 11.

Ceterum spes nobis est, fore ut in tradenda gratuitæ Prædestinationis doctrina, non eruditioni tantum; sed & proximorum utilitati, ac ædificationi studeatis. Utrumque nos admonet S. August. quid docendum? qua ratione docendum? Nedum vitandi sunt errores, hac in quæstione periculosissimi, sed & duriora verba, locutiones imprudentes, quæ non ædificationi forent, sed offensioni. Ea prudentia tractandum illud argumenti genus tam sublime, tam arduum, ut ex una parte inspiretur auditoribus humilitas, & fiducia, ne spem abjiciant, aut laborem, piaque studia remittant: ex altera sic ad vigilantiam, & laborem excitentur, ne superbia, nimiaque de propriis viribus fiducia nascatur. Piam fiduciam quod attinet, illius rationes ex orandi necessitate repetit Sanctissimus Doctor. *Vos itaque*, ait, *etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse a Prædestinatione populi ejus alienos, quia ut hac etiam faciatis, ipse largitur*.

Libro de dono persev. c. 22. n. 62.

Hæc dum fidelibus monitu dabitis, non terrori eritis, sed solatio. Nemo quippe non sentit sua in oratione segerere piæ fiduciæ fundamentum: modo noverit illud ipsum ex Deo esse, qui orationis affectum inspirat, & exitum donat. *Impartito salubriter orationis, affectu, & effectu*.

Jam vero, ut uno velut intuitu conspicere vobis liceat, quid a vestra prudentia, & pietate in hoc argumenti genere expectemus, omnia hoc ordine breviter complectemur.

S. Aug. ep. 194. ad Xistum n. 30.

Statuetis in primis gratuitæ hujus, & omnipotentis gratiæ veritatem, quam nullis naturæ dotibus, vel naturali usu liberi arbitrii promereri valuimus; quæ nobis pias cogitationes, sancta desideria, bona opera, perseverantiam usque in finem impertit. Gratia hæc intima, & efficax, quæ, secundum Apostolum, operatur in nobis velle, & perficere: quæ non solum bonum ostendit, aut suadet, quod lex olim præstabat, sed etiam persuadet; atque ut faciamus, operatur: *Qua non solum suadetur omne, quod bonum est, verum & persuadetur*. Gratia victrix, quæ & contra salutis hostes nos muniat, & contra propriam infirmitatem nostram. *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*, ut pronuntiat Innoc. I.

Phil. 2. 13. Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate. Ez. 36. 26. & 27. Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini. S. Aug. Lib. de gratia Christi c. 29. Innoc. I. Ep. ad Patres Carth. Conc. inter Augustinianos 181. n. 7.

Hoc gratiæ genus statuere facillimum est; cum publicas Ecclesiæ preces consulere satis sit, quæ necessitatem ejus liquide probant; nullumque sit fidei dogma luculentioribus Scripturarum, ac Traditionis testimoniis confirmatum. Ea gratia mere gratuita ad cujusvis boni operis initium, progressum, consummationem, & in finem usque perseverantiam constituta, cum SS. Augustino, & Thoma facile probabitis, non ipsa dumtaxat fide duce, sed & naturali ratione affulgente, Deum ante omne tempus premovisse, ac præparasse omnia illa dona, quæ nobis in tempore ad salutem liberaliter impertit. Deo etenim æterno, & immutabili, nihil novi sæculorum tractu accidere potest, quod is factorum se ex æternitate non decreverit, si bonum sit, aut permissurum, si malum. Hæc duo igitur ex æquo constat, ea videlicet Beneficia Dei, quibus electi certissime liberantur, illis ex æternitate, nullis eorum exploratis meritis, esse destinata; eademque illa in tempore gratuito, & efficaciter dari, hujus nempe bonæ voluntatis, æternæque dilectionis executione, quæ in Christo ante tempora sæcularia præparata fuerunt. His duobus fundamentis inconcussis stat universa S. August. doctrina, ab Apostolica Sede probata, & contra Pelagianos uti Ecclesiæ fides asserta. Hinc velut ex fonte derivatur celebratissima Prædestinationis definitio a nobis paullo antę tradita; qua tota paucis exponitur divinæ gratiæ, ac nostræ salutis œconomia: *Hæc est Prædestinatio Sanctorum, nihil aliud præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*.

Jer. 31. 3. in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.
Lib. de dono persev. c. 14.

Vestra illuc de divina gratia documenta perpetuo revocate; alias periculum suberit, ne regia relicta via, in sinistram, aut dexteram declinantes aberretis. Ceteras quæstiones quod attinet, profundiorum, & incurrentium quæstionum numero haberi possunt, quas *Sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere*. In hæc verba desinunt Capitula illa celeberrima, quæ S. Cœlestini Epistolæ ad Gallicanos Episcopos adnexa sunt. Ne porro S. August. adversarii iis forte verbis abutantur, ut Sanctissimi Doctoris sententiam de gratuita Prædestinatione, & efficaci gratia Christi, minus a Cœlestino probatam dicant, quæ sequuntur verba maturius expendant. *Ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas Regulas Apostolicæ nos Sedis scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium*. Qui aures non penitus obtusas habent, noruntque vel leviter, qua de re tunc ageretur, hoc uno velut fulmine conteri sentiunt S. Aug. Adversarios. Nec satis capere possumus, qua tandem audacia Theologi quidam gratuitam Prædestinationem adhuc impugnent.

Id vero cavete maxime, ne doctrinam adeo Catholicam tradentes, in extremum eorum errorem abeatis, qui divinæ voluntatis colendæ studio humanam libertatem e medio tollunt. Quinimo, tametsi positis Scripturæ Sacræ, & Traditionis principiis, vobis forte difficilior videretur divinæ gratiæ, & libertatis humanæ conciliatio, quam statutis recentiorum quorumdam Auctorum variis opinationibus: vobis satis omnino sit, duo hæc fidei Catholicæ capita posuisse, Deum omnia posse, & sua hominem libertate frui. Cetera uni Deo committite, aut iis quo ille sua luce perfuderit, ut intimos, reconditioresque modos agnoscant, quibus (ut Scriptura loquitur) *Facit concordiam in sublimibus suis*; iis nempe, quæ nimia sui sublimitate terrorem humanis mentibus incutiunt, vixque a nobis percipi, aut conciliari inter se possunt. Illa ipsa, quæ a nonnullis obtenditur, incomprehensa Mysteria explicandi facilitas, apud vos in suspicionem veniat. Hæc adversus recentiorum conciliationes, Apostolo, Patribusque doctissimis ignotas, instar præjudicii habenda est. Satius est altissimas illas veritates nusquam hactenus a Patre luminum revelatas, cum Apostolo, & S. Aug. nescire, quam Doctorum de se plus æquo fidentium ingeniosa nosse figmenta, quæ illis caro, & sanguis revelarunt. Mementote, neque eruditi Theologi, nec prudentis esse Philosophi, veritates infallibili auctoritate, aut ipsa rationis evidentia constantes, propterea negare velle, quod gravissimis difficultatibus implicentur. S. Aug. ex æquo humilis, & eruditus, magnis se in conciliando libertate cum Prædestinatione, & gratia difficultatibus obsideri fassus est, * (quo vel uno intelligimus obiter quantum illi a S. Doctore, & ab Apostolo diffideant, qui nullam hac in parte difficultatem pati volunt) stetit nihilominus in incœpto Sanctissimus Pater, nec ab omnipotentissima Dei operatione, & liberrima hominis cooperatione propugnandis umquam dimotus est. *Non enim cum ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus*. Sat erit illustriora Sanctissimi Doctoris loca indicare, ubi liberum arbitrium in agendi, & non agendi potestate situm docet. Sententiam de hac gravissimi momenti veritate explicatissime dixit in Libro *De Spiritu, & Littera*, (*a*) Libro *De Gratia, & libero arbitrio*, (*b*) ac passim in Libro admirabili *De Natura, & Gratia*. (*c*) In eo asserendo dogmate ubique pene totus est: tum maxime in Enar. in Psalm. 91. ubi hæc habet: *Aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem Serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur, Non cessat Satanas suadere malum; sed nec cessat Deus admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, & non consentire*.

Job 21. 2.

* Ista quæstio ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; & quando asseritur Dei gratia, liberum arbitrium puteturauferri. S. Aug. lib. de gratia Christi c. 47. Lib. de Natura, & Gratia c. 32. nu. 36.
a Cap. 33. & 34. & Cap. 2. *b* 15. *c* Cap. 43. 64. 65. 67.

Et quis tandem sit Pastorali nostræ Institutioni modus, si illustria quæque S. August. testimonia proferentur, quibus inconcussa liberi arbitrii jura, etiam post peccatum & sub gratiæ reparatricis operatione tuetur, ac probat? Quicquid tamen hoc de argumento explicatius docuit, hac una brevi sententia Epistolæ ducentesimæ decimæquartæ complexus videtur: *Si non est Dei gratia, quomodo salvat Mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat Mundum?* Si quis autem ultra modum argutari velit, atque e duobus alterutrum e medio tollendum putet, quod utriusque concordiam minus capiat, illius superbiam his verbis comprimet S. Augustinus: *Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire? ..... Neque propterea judicia Dei sunt injusta, quia occulta*.

Lib. de dono persev. c. 4. Ep. 194. n. 10. Tert. lib. de Resur. carnis c. 14. Sap. 11. S. Aug. lib. 1. de Doct. Chr. 32. In fine Conc. Arausicani: Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Sapiens Theologus quemadmodum electorum salutem uni Dei bonitati adscribit, ita reproborum damnationem in sola eorumdem mala merita refundet: *Deus de suo bonus*, ait Tertullianus, *de nostro justus*. Diligit omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit (inquit Sapiens), quia non odiens constituit, & fecit. *Quia bonus est, sumus*. Procul igitur absit a nobis feralis illa sententia, Deum ex se ipso quempiam ad malum prædestinare.

Error est olim cum execratione damnatus a Concilio Arausicano II. suis in divinæ gratiæ, & gratuitæ prædestinationis hostes Canonibus celeberrimo, ac non ita pridem in sacra Synodo Tridentina.

Quotquot ad sobrietatem, ut monet Apostolus, Theologi sapient, ab errore procul erunt, quod Deus justus, ac bonus impossibilia jubeat. A priscis quondam Patribus damnata blasphemia, & a Concilio Trid. rursus proscripta ipsis S. Aug. verbis: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis*.

Illud etiam sæpius ad Fidelium solatium inculcandum est, *Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi prius ab illis deseratur*. Alterum istud est pietatis Christianæ fundamentale documentum S. Aug. in Concilio Trid. definitum. Nihil eo in S. Aug. doctrina eliquatius: *Ut innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, quæ ut non adjuventur, in ipsis itidem caussa est, non in Deo*.

Iis principiis constitutis, duo hæc consectaria sponte fluunt: Primum, posse nos gratiæ cuilibet etiam efficacissimæ resistere, quia nos ea libertate frui finit: alterum culpæ nostræ certissime adscribendum esse, quoties aut exteriori gratiæ, aut etiam interiori reipsa resistimus, qua (nisi nostræ obessent infidelitates) Dei mandata implere possemus. Et hæc rursus in Concilio Trid. tradita doctrina est, quę hoc etiam in capite, ceterisque pene omnibus justificationem attinentibus, S. Aug. sententiam ipsis ejus verbis expressit. Ita nec efficacia gratię liberum aufert arbitrium, quod sartum tectum nobis esse vult Deus; nec libertas nostra gratię efficacię umquam derogat, quatenus gratia omnipotentis Dei voluntatis in nobis instrumentum est.

Conc. Trid. Sess. 6. Can. 17. ib. c. 11. & Can. 18. S. Aug. Lib. de Natura, & Gratia, c. 43. n. 50. Conc. Trid. sess. 6. c. 11. S. Aug. l. de Natura, & Gratia, c. 25. n. 29. Aug. l. 2. de peccatorum meritis, & remiss. c. 5. n. 5. Si ab illo avertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sa-

His igitur vos continete finibus, nec divinorum Judiciorum impenetrabilem abyssum tentetis. Occultas divinę misericordię in electos rationes, aut tremenda in reprobos, sed justa, semper, adorandaque judicia, temere scrutari nefas esto.

Si

pimus, & concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus.

Si qui vos imperiti, licentiorisque, ac procacioris ingenii viri sophismatibus irretire tentarint, veteresque Semipelagianorum argutias recudere, hoc ipsum illis respondete, quod toties olim secundum Apostolum respondit S. Aug.: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Quasi dixerit: Quid tu homo, exilis admodum acuminis, & ingenii, ac ipso etiam originis vitio obcæcatus, ac depravatus, Dei arcana scrutari te posse putas, & inexhaustæ misericordiæ, vel infinitæ justitiæ rationes discutere? Cum gentium Apostolus cœlesti præ ceteris luce perfusus hanc unam noverit, aut certe dederit solutionem difficultatum, quas ignorantia, superbia, & pravitas humana omni retro tempore adversus mysterium prædestinationis, & gratiæ objecerunt, ejus stare documentis debemus. Ad divina igitur Apostoli verba firmissimi responsi loco in hac difficillima quæstione confugiendum: *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam .... Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quare me fecisti sic?* Si qui ultra molestius urgeant, cum Apostolo exclamandum: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Importunis cavillatoribus os occludite monendo cum S. Augustino, ut *Si quærant doctores, caveant, ne inveniant præsumptiores.*

Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit, sed etiam ut convertamur ipse adjuvat.
S. Aug. 16. c. 17. n. 2 6.
Ps. 45. 7. Judicia tua abyssus multa. Eccl. 3. 22.
Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Prov. 25. 27. Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.
Rom. 9.
Rom. 11. 33.
Libro de Spiritu, & Littera c. 34. n. 60. Ep. 194. ad Sixtum n. 23.

Vanis recentiorum Theologorum speculationibus nullatenus invideatis, quæ illos in præcipitium impulerunt, quod illis imminere S. Doctor prædixit. *Scrutetur, qui potest judiciorum Dei tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.* Nec etiam adversus Sanctissimum gratię Doctorem objectiones metuatis. Quantumlibet illi de novis inventis initio sibi blandirentur, magnaque spe erecti sibi fingerent, futurum tandem aliquando, ut Ecclesia S. Aug. sententiis (ut temere ajebant) turbata jampridem, eorum systemate, & conciliatione sedaretur, ac doceretur, suo tandem experimento comprobarunt, quam spes illorum fallaces, quam inanes cogitationes fuerint. Tantum enim abest, ut quam spondebant pacem attulerint, quin potius doctrinę suę novitate excitata ubique dissidia, tumultus, scandala viderunt. Novos illos, superbosque humani ingenii partus exploserunt Doctores, fidelesque, quotquot Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Romanæ doctrinę studiosius, ac tenacius inhærebant. Joannes Mariana Molinæ licet sodalis, periculosam eorum pertinaciam lugebat, qui Societatis honorem in ejus doctrina tuenda positum existimabant. Ipse demum Lessius variis turbinibus ab humana ratione suscitatis agitatus, nihil ex hoc novo invento solatii reportavit.

Humilis Scripturarum meditatio, Traditionis studium, conscientiæ puritas, plus nobis lucis afferent, quam rationum quantacumque subtilitas, superbaque humanæ mentis elatio. Ac reipsa quidem probabitis, Augustinianæ de Prædestinatione doctrinę studiosiores religiosiori grati animi significationi Dei dona excipere, iisdemque accuratiori fide, ac majori pietate respondere: cum alii ex opposito, qui cœlestem illam doctrinam rejiciunt, quasi animos frangeret, ac socordiam aleret, grave periculum subeant, ne ipsi minus vigilent, minus ferveant; immo vero magis ingrati sint, magis superbi.

Sed & id obiter observandum, tumidos illos sublimioris (ut haberi quidem volunt) ingenii viros, qui de Prædestinationis Mysterio pro arbitrio disserunt, ut licentius vivant, ac molli securitate torpescant, ita dumtaxat subtiliter argutari solitos esse, ubi de sua ipsorum sanctificatione, & salute agitur. In aliis quippe negotiis, ubi sua, vel minima vertuntur commoda, omne in rebus suis promovendis studium ponunt: nec modo ceteris minus, sed plus etiam quandoque vividi, acres, & experrecti, totis viribus adnituntur. Ita ne vero fugit eos, nisi forte omnem religionis, ac recti judicii sensum exuerint, Deum eventura quæque certo pręnovisse, atque æterno consilio statuisse? Quid ergo una illos sollicitat animæ salus, ubi de æterna felicitate, vel miseria agitur? Ne illi sæculi filii, in fluxis, & caducis sectandis prudentes, ac ipsis quandoque filiis lucis prudentiores!

Ne quid omittamus hoc loco institutioni vestrę necessarium, ab iis maxime cavendum monemus, qui cum S. August. doctrinam aperto marte oppugnare minus audeant, ejus saltem auctoritatem imminuere nituntur, objecta Sanctissimi Doctoris cum superioribus Patribus, & maxime Gręcis dissonantia. Objectionem occupavit in antecessum S. August., ostendens fieri non posse, ut aliter de divinæ gratię necessitate, & efficacia sensissent, qui iisdem cum illo, & cum tota Ecclesia Catholica precibus, a Christianæ religionis origine, ipsam a Deo flagitassent. Eos omnes suspectos habete, qui vel Traditionis seriem succidunt, vel ejusdem universalitatem destruunt, Patribus secum mutuo commissis, & fictitio Orientem inter & Occidentem, priorum inter, ac sequentium sæculorum Doctores vulgato dissidio, Eruditionem in solvendis, non in congerendis difficultatibus positam existimate, in conciliandis Patribus, non illis mutua secum contentione committendis. Idque in antecessum credite, quod vestro tandem experimento, & humili assiduaque lectione comprobabitis: posteriores scilicet Patres (quemadmodum S. Aug., & Vincentius Lirinensis observarunt) ea dumtaxat distinctius, & clarius explicasse, quæ pressius, atque ex occasione tantum veteres attigerunt: ea præsertim ætate & tempore, qua nondum subortis hæresibus, nulla veritatis distinctius tractandæ, & eliquandæ necessitas erat.

Formam igitur, ut jubet Apostolus, sanorum verborum habete, quæ ab iis audivimus, quibus veritatis depositum a Deo ipso creditum est: idque in cœlesti doctrina melius reputate, quod emergentium hæresum occasione ab Ecclesiæ defensoribus divinitus datis assertum, ac propugnatum est. Quod superiorum temporum Patres attinet salva doctrinæ illorum integritate observare sat est, illos nondum subortis controversiis, minori cautione locutos. *Vobis nondum litigantibus, securius loquebatur,* ajebat olim S. Aug. de S. Joanne Chrysostomo sermonem habens, cujus hodie nobis non nulla loca studiosius opponuntur, doctissimi Photii de illius operibus minus spectato judicio. *Sicubi,* inquit ille, *sententiarum aliqua seu interpretationis, seu profundioris indagationis indigebant, neque tamen diligenter satis eas explanavit, mirum id minime videri debet. Quæcumque enim auditorum captui accommodata essent, atque ad eorum salutem, & utilitatem pertinerent, ea neutiquam ille prætermittebat. Quamobrem neque admirari Sanctissimum Virum satis umquam possum, quod perpetuo in omnibus suis scriptis, auditorum ita utilitatem tamquam scopum præfixisse sibi videtur, ut cetera vel omnino neglexerit, vel levissime attigerit, sed & illud pro auditorum utilitate contempsit, quod alicui vel sensus aliquos ignorasse, vel ad profundiora quædam penetrare refugisse, vel id genus alia præteriisse videri posset.*

S. Aug. l. 1. contra Jul. Pel. c. 6. in Ps. 54. & l. de Præd. Sanct. c. 14.
Vinc. Lirin. Common. c. 22. & 23.
l. 1. contra Jul. c. 6.
In Bibliot. Photii, Ed. Rot. p. 387.

Nos quidem, qui ea dumtaxat vobis exponimus, quæ a sanctissimis divinæ Gratiæ defensoribus, quo tempore a variis hostibus impugnabatur, asserta, & vindicata sunt; in eadem hactenus sententia constantes fuimus. Hanc nos celeberrima Sorbona docuit, ubi & instituti quondam fuimus, ac nunc etiam, quod summo ducimus honori, Provisoris munus gerimus.

Refert Balduinus Richovius in Academia Duacensi Theologiæ professor.

Ab anno 1347. Theologica Facultas Parisiensis omnium doctissima tres Propositiones sequentes, a *Joanne de Mercuria* Cisterciensi propugnatas damnavit.

Quod propter opera alicujus futura bona Deus præordinavit aliquem ab æterno. Item. *Quod aliquis prædestinatus est ab æterno propter usum liberi arbitrii, quem Deus præscivit eum habiturum.* Item. *Quod non sic gratis, & misericorditer Deus prædistinavit, quin & pro omnibus bonis ipsius futuris, vel alterius.* Legitur Academiæ Censura ad calcem Magistri Sententiarum, Editionis an. 1550.

Nec aliter censebat olim Academia ista Rhemensis, quo primum tempore instituta est. Fidem locupletissimam faciunt Alani Cardinalis Angli dictata Scripta, dum ante indutam Purpuram publici Professoris munus obiret; cum S. Aug. de gratuita prædestinatione sensisse tunc Academiam nostram plus satis indicant. Cardinalitiis infulis ordinatus est a Sixto V. 7. Augusti 1587.

Exculta eruditio cum singulari pietate conjuncta, quam in hacce Academia vestra læti suspicimus, spem nobis facit, futurum ut sanctam illam doctrinam constanter, ac perseveranter tueatur, & inductos a nonnullis abusus caveat. Purus, eruditusque zelus procul vos facit ab illorum erroribus, qui se Augustinianos falso professi, & Sanctissimi Doctoris mentem ceteri omnium ætatum Theologis Catholicis felicius attigisse sibi visi, gratiam necessitantem commenti sunt, novam humanæ libertatis ideam intulere; infinitæ Dei bonitati, omnes homines salvos facere volenti, modum arbitratu suo posuere: ceteros demum errores propugnarunt, quos a Concilio Trident. jampridem anathemate damnatos, suis Constitutionibus proscripserunt Innocent. X. & Alexander VII. quinque famosis Propositionibus ex Libro Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi, qui inscribitur *Augustinus*, excerptis, justa Censura confixis. Apostolicas illas Constitutiones summa, qua par erat, veneratione, & obedientia exceperunt Gallicani Episcopi; accessit totius Ecclesiæ Catholicæ consensus. Rex Christianissimus, Ecclesiasticæ auctoritati Regiam adjunxit lato Edicto mense Aprilis 1661.

Edicto suo Rex prohibuit ne subditorum suorum ulli se mutuo impetant, aut provocent sub obtentu controversiæ antehac excitatæ, neve sibi mutuo impingant Hæreticorum, Jansenianorum, Semipelagianorum, aut similia quævis factionis nomina, ne demum scribant, edant vel in lucem libellos de hoc eodem controverso argumento, nec verbis injuriosis famam cujusquam lædant, qui Fidei formulæ ex sui Archiepiscopi, Episcopive præscripto subscripserit, sub pœna gravi ad exemplum infligenda.

Firmam hæc, atque perennem Ecclesiæ pacem attulissent, nisi eam identidem inquieta perturbassent ingenia, seu scriptis, seu sermonibus minus orthodoxis, aut imprudentissimis, quibus etiam caritas non mediocriter lædebatur. Certam nobis restituendæ pacis Ecclesiæ pariter, ac Reipublicæ conducibilis, viam monstravit Rex piissimus sanctioris Consilii sui Edicto dato die 23. Octobris 1688. quo Brevis Pontificii Clementis IX. felicis, sanctæque memoriæ dati 28. Septembris ejusdem anni observantiam imperabat.

Summa nobis ad hunc usque diem cura fuit sapientibus, ac religiosis tanti Principis consiliis, ac votis respondere, ut in hacce Diœcesi nostra pacem integram foveremus: ac re ipsa quidem Dei misericordis voluntate studiis nostris respondit eventus. Stabimus posthac in incœpto, nec minimum quidquam de pristina vigilantia remittemus. Quo studio,

studio, qua fide in eos animadvertemus, qui e damnatis quinque Propositionibus tueri, aut adversus Innocentii X. & Alexandri VIII. Constitutiones scripturire, vel mussitare auderent, eorum quoque audaciam cohibebimus, qui cœco, & imprudenti zelo abrepti, assumpta sibi de intimis animi sensibus judicandi licentia, quam ne ipsa quidem sibi tribuit Ecclesia, viros probos, ac pios, aliunde illis invisos temerariis suspicionibus infamant, vexant, exagitant, vagisque Jansenismi accusationibus insectantur. Sanctissimi Pontificis, quem Dei misericordia nobis dedit, cui & multos annos ad Christianæ Reipublicæ utilitatem adprecamur, prudentibus Statutis utemur, ut debemus. Futurum, ut data non ita pridem ad Belgii Episcopos vicinos nostros, & ad Lovaniensem Academiam, singulari, & inviolato in S Aug. doctrinam studio venerabilem, Apostolica Brevia; illorum Præsulum Ecclesiis optatissimam pacem afferant.

Quocirca publice denuntiamus, quemadmodum & nuper Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis publico Decreto pronuntiavit, nos minime passuros, ut viri *nullius nominis, ac auctoritatis, caritatis nullius*, quin & sæpe nullius scientiæ, *de proximorum fide judicandi, eosque ex levibus suspicionibus infamandi, jus sibi arrogent.* Faxit Deus, ut tot Summi Pontificis, & Episcoporum Monitis, caritatem spirantibus, temerarii illi fratrum accusatores tandem obsequantur, prudentissimoque Regis Edicto obtemperent, quo exitiale Ecclesiæ contentionum incendium restinguendum existimaverat. Si in sua pertinacia nihilo secius perseverent, timendum, ne hæc in eos Hormisdæ Summi Pontificis de Scythiæ Monachis verba cadant: *Eo usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si sua viderint cedere nolle sententiæ.*

Ep. 70.

Volumus hoc præsens Decretum nostrum in proximis Theologicæ Facultatis Rhemensis Comitiis legi; cum primum ex juris forma vulgatum erit, in ejus Commentarios referri ex integro, doctrinamque in eo traditam, in publicis Scholis doceri, ac propugnari. Volumus insuper illud ad omnes Diœcesis nostræ Cœnobiarchas, & regularis cujusque Communitatis Superiores deferri, ad trium Seminariorum Præpositos, ad Rectorem, & Theologiæ Professores Collegii Jesuitarum hujus Urbis, ac demum Rectores Collegiorum ejusdem Societatis, Caropolis, & Sedani, sine mora, agente Promotore nostro. Universis ejusdem Societatis Religiosis Viris, seu jam in nostra Diœcesi constitutis, seu ad eam deinceps accessuris injungimus, ut præsenti Decreto pareant, quo supra modo expositum est. Ac licet liberam eis permittamus Quæstionum, quæ in Scholis Theologicis disputantur, seu quas suo judicio Sedes Apostolica reservavit, tractationem, illis tamen, uti & omnibus, ac singulis Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus, Concionatoribus, ac Magistris inhibemus, ne quid scribant, doceant, aut sacro suggestu, vel Scholæ pulpito tradant, duobus illis repugnans capitibus, quibus veluti fundamentis Augustinianæ doctrinæ summam a Sede Apostolica probatam, ac velut Ecclesiæ fidem contra Pelagianos assertam ostendimus. Statuimus præterea, ut Theses Theologicæ diebus 5. & 17. Decembris anni proxime elapsi propugnatæ penitus supprimantur.

Ceterum significamus paratos nos esse ex animo ad singularia existimationis nostræ, ac benevolentiæ in Societatem argumenta, quavis data occasione, Jesuitis exhibenda, futurumque speramus ut qua ratione nihil ab illis, qui in nostra Diœcesi constituti sunt, exigere volumus; nisi quod Dei gloria, Ecclesiæ dignitas, ac vera Societatis ipsius commoda postulant; ita judicio, & auctoritati Spiritus Sancti pareant, qui nos, immeritos licet, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

1. ad Cor. 1. 10.
Ad Eph. 4. 3. & seq.

Hoc superest unum, ut Deum optimum maximum precemur, ut *Idipsum dicamus omnes ... simusque perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: ut ejus opitulante gratia solliciti simus *servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Cum una nobis fides esse debeat, spes una, finis unus, Gloria scilicet Dei Patris per Dominum nostrum Jesum Christum, ad ædificationem Ecclesiæ.

Datum Rhemis in Palatio nostro Archiepiscopali, sub Cameræ nostræ sigillo, nostroque, ac Secretarii nostri chirographo, die 15. Julii, anno 1697.

CAROLUS MAURITIUS.
Archiepiscopus Dux Rhemensis.

De mandato Illustrissimi Archiepiscopi Domini mei,
DE MARTIGNY.

XI.

DECRETUM INNOCENTII XI. PONTIFICIS MAXIMI.

De dispositionibus ad frequentem Communionem, & contra plures ea in re abusus.

Die 12. Februarii 1679.

CUM ad aures Sanctissimi Domini nostri fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam Feria sexta Parasceve, & simul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam esse a Jure divino: quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis oratoriis, & domi, immo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito: ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, eadem sacra Congregatio, prævia matura discussione, super prædictis ita censuit.

Etsi frequens, quotidianusque Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Conc. Trident. præscripsit: sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens; quod cuperet tantum indicavit cum inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent*; Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, varia ob negotia spiritus alienationes; multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram Alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu, laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod perspicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis tamen hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos *fraudare, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi,* eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistię reverentiam continentię vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, vel quotidiana sacrę Communionis sumptione, unica pręcepti forma aliqua deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se, aut per Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet. Illudque omnino provideat, ut nemo a sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis, & pręparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut diebus ex earum Ordinis instituto pręstitutis communicent. Si quę vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, statim de magna ad illud sumendum preparatione orationem habeant; generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini Judicii formidine discant cœlestem Mensam, in qua Christus est, revereri: & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere.

Conc. Trid. sess. 22. c. 6.
1. Cor. 7. 5.

Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, & diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona

dona

dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequenter refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & caritate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se Fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam operam ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur.

Porro Episcopi, & Parochi redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de Jure divino. Doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis, de mana Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam: nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto, ad existentes domi, vel cubantes in lecto, præter quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, & cum pompa, juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanę usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, aut Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo optimo maximo se rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu; facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc decretum, per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua probavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

F. CARDINALIS COLUMNA Præfectus.

XII.

PASTORALIS EPISTOLA Eminentissimi DD. CARPEGNA CARDINALIS VICARII.

Institutionibus S. CAROLI BORROMÆI jussu Sanctissimi Pontificis INNOCENTII XII. Anno 1700. Romæ editis præfixa.

Ex Italico idiomate in Latinum translata.

GAspar Carpegna Sabiniensis Episcopus, Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Vicarius Romæ, ac Romanæ Diœcesis; Venerabilibus Confessariis ejusdem Urbis, ac Diœcesis Salutem in Domino.

Tametsi necessitatem instituendi Sanctos Ministros, & fideles dispensatores Mysteriorum Dei perspicuis verbis declaraverit Apostolus dicens: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*: id tamen in administratione Sacramenti Pœnitentiæ longe gravioris est momenti; ut enim illius usus Fidelibus cum dispositionibus necessariis ad illud accedentibus salubertimus est: ita ejus administratio Sacerdotibus ministerio suo indigne functis periculosissima.

1. Cor. 4. 1. & 2.

Mali tam gravis timore percussi, cum Apostolo dicimus: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*: Tales scilicet eligendi, qui nec privatis utilitatibus, & cupiditati serviant, nec vanum honorem consectentur, sed uno Dei gloriæ, ac salutis animarum agantur desiderio: qui cœlestem illam potestatem non pro arbitrio, quasi summi dominii jure exerceant, sed ut Ministri obnoxii reddendis Christo Jesu supremo Judici rationibus dispensationis Sanguinis ejus pretiosi, cujus applicatio ad remissionem peccatorum in hoc Sacramento ipsis concredita est.

Matt. 15. 14.

Præmonuerat ante Salvator noster: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent*, idest in æternam damnationem. Quin & Pharisæis exprobraverat, quod magnam Sectatorum turbam ad se trahendi desiderio impulsi, circuirent *mare & aridam*, ut facerent *Proselytos*, quos pravo moderamine in graviora crimina præcipites agerent, & *filios gehennæ* facerent. Illos denique increpat, quod perniciosis exemplis, pravaque doctrina *regnum cœlorum ante homines clauderent*, quibus illud, ut per sanctam Passionem, ac mortem suam aperiret, in mundum venerat, & quod regni illius aditum malitia, & nequitia sua sibimetipsis intercludentes, aliis introitum prohiberent, quos a recta via avertebant, ad quam illos fideliter dirigere tenebantur.

Matt. 23. 27.

Ib. vers. 13.

Malum tam deplorandum dubio procul imminet, si Pœnitentiæ Ministri integris, ac religiosis moribus non sint; immo vitia in seipsis alant, quæ ex pœnitentium animis extirpare ex officio tenentur: si scientia destituti sint, aut zelo imprudenti se abripi sinant; si animarum vulnera foveant: non sanare satagant instar pii Samaritani, vinum, & oleum, idest lenitatem, ac severitatem Christianam opportune adhibentes: si non modo negligant spiritualium vulnerum curationem, sed peccatorum licentiam, ac pravitatem detestanda foveant indulgentia, humanisque respectibus, quos ingenerant auctoritas, dignitas, vel temporalia commoda, quæ ignavi illi Ministri ab iis forte sperant, quorum Confessiones excipiunt. Qua quidem agendi ratione, secundum Prophetæ sententiam, *Consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Sic homines æternum perire, aut in peccatis suis inveterascere, aut falsa securitate delusos male quiescere sinunt: non attendentes sacrum Confessionis ministerium animas suas periculo exponere pro pœnitentium animabus, quorum se fidejussores apud Deum conitituerunt.

Ez. 13. 18.

Tanti igitur oneris pondus scientes, secundum Sapientis oraculum, nulli parcere debent labori, nulli sollicitudini, adniti perpetuo, loqui, agere, monere, corripere, exhortari; nullam sibi requiem indulgere, donec sibi commissas animas ex tartarei Draconis faucibus eripuerint.

Hac de caussa sancti Ecclesiæ Catholicæ Episcopi tam sollicite invigilarunt (uti ex Conciliorum Decretis compertum est) ut Sacerdotes ad Ministerium tam sublime destinati, summa illud animi attentione, ac diligentia implerent. Zelo itaque Pastorali succensi, in memoriam illis revocare non cessabant, ut animarum Judicibus, gravissima illa verba Regis Josaphat ad veteris Legis Sacerdotes populique duces: *Sic timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Sit agetis fideliter, & corde perfecto. Omnem caussam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de caremoniis, & justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum*. Dicti sui rationem affert sane luculentam, & quæ una plurimarum loco esse possit, in sacro præsertim pœnitentiæ Tribunali: *Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit*.

2. Par. 19. 6. & 10.

Idipsum est, venerandi Pœnitentiæ Ministri, quod vobis impense commendat vox supremi Ecclesiæ universæ Pastoris, vestrique speciatim sancta hac in Urbe, ubi pietas, doctrina, prudentia, zelusque Confessariorum effulgere magis, & omnibus Christiani orbis partibus esse debent. Movet Sanctissimum Patrem, quod vobis impendet periculum, nisi omnes Ministerii vestri partes plene, & integre impleatis, pondere Sanctuarii perpendit horrendam stragem gregi Christi, qui Pastorali sollicitudini suæ commissus est, imminentem, nisi illum recta via ducatis. Terribile judicium considerat in Ministros infideles hora mortis pronuntiandum si perditionis tot animarum rei inveniuntur: sive judiciaris potestate abusi illas absolverint, aut condemnaverint arbitrio magis suo, quam ex sacri Ministerii regulis, sive se spirituales esse Medicos prorsus immemores, illas misere perire passi fuerint, remediorum defectu, quæ vel ignorarunt, vel illi adhibere neglexerunt. Formidabilem demum sententiam recolit Sanctissimus Pontifex sub Lege Gratię longe severius, quam sub Veteri in Sacerdotes innovatam. Sub priori nempe dens pro dente, oculus pro oculo repetebatur; sub posteriori vero Confessarii anima pro anima pœnitentis pœnas dabit, si Sacerdotis ipsiusmet conscientiæ Moderatoris qualicumque culpa illam perire contigerit.

Quamobrem Beatissimus Pater provido zelo animatus, vos etiam, atque etiam hortatur, ut vobis ipsis attendentes, Prophetieum audiatis Oraculum: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea*. Hanc ad finem vobis præcipit, ut nos antehac mandato nostro declaravimus, ut quotannis per dies aliquot secedatis spiritualibus exercitiis vacaturi, & rationem a vobismetipsis exacturi gravissimæ illius administrationis vobis commissæ, qua pretiosus Sanguis Jesu Christi a vobis dispensatur. Novas vobis leges proponit, quas in functionibus Ministerii vestri sectemini, Regulas a S. Carolo Borromæo magno illo Ecclesię lumine, bonorumque Pastorum exemplari conditas, & prescriptas, de quo, ut de Magno quondam Basilio, dici potest; Sic illum Mediolanensem Ecclesiam docendo, ut illum Cesariensem erudiendo, orbem universum illustrasse.

Jer. 6. 16. 23. Januar. 1695.

Verumtamen hæ Regulę haud novæ censendę sunt, cum eas S. ille Archiepiscopus ex intimis antiquæ Disciplinæ visceribus, ex sanioris Doctrinæ fontibus, necnon ex ipsa natura Sacramenti Pœnitentiæ deprompserit, hauserit, arcessiverit: quod quidem cum in modum emendatorii judicii fuerit institutum, in hoc maxime incumbere debent ejus Ministri, ut noxę præteritę puniantur, & nova, quæ committi deinceps possent, peccata, quoad fieri potest, cum auxilio gratię, a pœnitentibus caveantur.

Tam

Tam sanctarum Regularum, documentorum tam salutarium frequentem lectionem vobis impense commendat Sanctissimus Pater: tam pretiosam collectionem, ut assidue præ manibus habeatis, vehementer adhortatur. Hanc velut AUREAM REGULAM tenete, secundum quam depravatos populi mores facile corrigetis. Hæc nos significare jussit, ceu filiis ad obedientiam propensissimis, & Ministris, in magno divino Opere directionis animarum in viam salutis, suæ Sanctitati cooperantibus; ne umquam de Sacerdotibus Evangelicæ Legis dici possit: *Simile illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, sed unusquisque vestrum salubrium consiliorum prudentiam cum exemplari pietate conjungens, non novellas, & minime fundatas opiniones amplectetur, sed veram solidamque doctrinam, sententiis, ac præsertim Sanctorum Patrum innixam, quos Deus ad Christianæ plebis institutionem cœlesti lumine perfudit: ut, cum rationem vos reddere oportebit administrationis vestræ supremo Judici, animarumque Patri, dicere cum fiducia possitis: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo; & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*, qui vias rectas, quas ipsi præmonstravimus, sequi noluit: & *quos dedisti mihi, custodivi, & non perdidi ex eis quemquam*.

Matt. 15. 14.

Joan. 12. Jo. 18. 50.